DE

EFFICACIA DIERVM CRITICORVM IN VVLNERIBVS DE LETHALITATE DVBIIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE, & reliqua,
SVB PRÆSIDIO
GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,
HEREDITARII in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
Patroni ac Promotoris sui æternum deuenerandi,
PRO LICENTIA
Summos in arte Medica Honores, Insignia ac Priuilegia Doctoralia,
MORE MAIORVM, solenniter obtinendi,
Publicæ Eruditorum ventilationi submissa
ab
AVGVSTO CHRISTIANO KNAVT,
BVDISSA LVSATO,
IN AVDITORIO MAIORI,
Ad d. XXXI. Mart. MDCCXII. Horis ante-& pomeridianis consuetis.

IENÆ LITTERIS KREBSIANIS.

DEO
ET
PROXIMO.



Lane Medical Library

SVMMARIA.

Quidam & potiſſimum etiam ex ordine ICtorum Medicinam, tanquam incertam ac mere coniecturalem, ſæpe traducunt, non videntes, Iurisprudentiam ipſam non minoribus nævis laborare. §. I. Cuius rei ſpecimen producitur in *dierum criticorum efficacia*, quam exerere dicuntur in *Vulneribus de lethalitate dubiis*. §. II. Incertum, an ICti a Medicis, an hi ab illis vocem *Criſeos* dierumque *Criticorum* mutuati ſint? §. III. Doctrinam hanc ab antiquis obſeruandi dexteritate modernos longiſſime ſuperantibus abſolute petendam eſſe docetur. §. IV. Quo ſenſu Vocabulum *Criſeos* acceperint Hippocrates, Galenus, aliique Medici antiqui? §. V. Noſtro ſenſu, nempe medico, quid proprie denotet criſis? §. VI. Examinatur definitio criſeos, 1.) ratione cauſæ ſeu principii mouentis, quod antiqui communiter NATVRAM vocant. §. VII. Hinc conceptus, nonnullorum recentiorum, de certamine *ætheris inquilini* cum *peregrino*, ſeu aduentitio (illum enim *Naturam* vocant) gratuiti ſunt. §. VIII. 2.) ratione *ſubiecti*, *criſes* nempe non cadere in morbos *chronicos*, ſed tantum *acutos*. §. IX. 3.) *Criſes* non fieri abſque ſufficiente humorum coctione, ſeu præparatione ad excretionem. §. X. 4.) Excretiones iſtas fieri interdum *perfecte*, per ſinceram euacuationem, interdum *imperfecte*, per apoſtaſes, ſeu abſceſſiones. §. XI. Tranſitus ad *dies criticos*, quid ſint, ac denotent Medicis? XII. Teſtimonia Hippocratis de *diebus iudicatoriis*, & quid ſint *indices*, *intercalares* & *vacui*, ſeu *medicinales*? §. XIII. Teſtimonia Galeni de iisdem. §. XIV. Harum ſolennium periodorum *Naturam* obſeruantiſſimam eſſe, niſi aliunde præpediatur. §. XV. Vnde præiudicium eſt tam veterum quorundam, quam recentiorum Medicorum, *criticos* tales *motus ſtatis temporibus* in hiſce noſtris regionibus nec contingere, nec religioſe expectandos eſſe. §. XVI. Adplicatio dictorum ad præſens thema, num ſcil. *dies critici* in *Vulneribus* de *lethalitate dubiis* eandem, quam in *acutis*, habeant *efficaciam*, quod adfirmant ICti, *Zacchia* autoritate perſuaſi. §. XVII. Errorem confirmante peruerſa explicatione C. C. C. Art. CXLVII. §. XVIII. Ad quod probandum tres formantur *Caſus*, quorum *primus eſt: Certo conſtare, Vulneratum ex Vulnere mortuum eſſe:* §. XIX. Quo caſu vulnerans pœnam ordinariam incurrit, non obſtante *inſpectione illegali*, quod exemplis illu-

ſtratur: §. XX. *Secundus caſus eſt: Certo conſtare, vulneratum ex vulnere non deceſſiſſe.* §. XXI. *Tertius Caſus eſt; Dubium eſſe, num ex vulnere an vero alia ex cauſa mortuus ſit vulneratus?* §. XXII. Demonſtratur hinc, *dies criticos in vulneribus dubiæ lethalitatis* nullam habere *efficaciam*, & quidem 1.) ex propria ICtorum diſſenſione, circa verum *dierum criticorum* terminum. §. XXIII. Quorum plerique ne quidem criticam indolem habent. §. XXIV. 2.) Diverſa vulnerum natura, diuerſum criſeos terminum exigente. §. XXV. 3.) Indiuiduali vulneratorum conſtitutione. §. XXVI. 4.) Natura *criſeon*, a qua vulnera alieniſſima ſunt. §. XXVII. §.) Ipſa Praxi forenſi, quæ *dierum criticorum* in vulneribus nullam rationem habet. §. XXVIII. E. ſolam vulnerum lethalitatem a Iudice attendendam eſſe concluditur. XXIX. Quam ob cauſam *vulnera* quoque *legitime inſpicienda*, eorumque *lethalitas* requirenda eſt. §. XXX. Vnde inſpectione & ſectione *illegaliter* peracta de lethalitate vulnerum certa formari nequeunt iudicia. §, XXXI. Nihil obſtat ſententiæ noſtræ Medicorum circa determinandam *vulnerum lethalitatem* diſſenſio. §. XXXII. Poſito, quod patrocinium non habeat in Iure Ciuili, ſufficit enim, in C. C. C. artic. CXLIX. eam expreſſe fundari. §. XXXIII. Concluditur hinc, inſpectionem & ſectionem cadaueris ad determinandam *vulnerum lethalitatem* abſolute neceſſariam eſſe. §. XXXIV. *Criſin* vero *dieſque criticos* in iisdem anxie expectandos non eſſe. §. XXXV. Q. E. D.

§. I.

REperiuntur omni tempore, & ſunt adhuc non pauci, potiſſimum etiam ex ordine ICtorum quidam, aliique qui artem Iatricam, tanquam incertam ac mere coniecturalem vel tacite calumniantur vel aperte criminantur, digni certe, quos cum aliquando ægrotauerint, & ſubſidio & auxilio ſuo prorſus deſtituat ars ſalutaris. Quantumlibet enim demonſtrationibus Geometricis dogmata Medicinæ ſuffulta eſſe aut controuerſiis omnibus carere, ſicuti vere gloriantur Mathematici, iactare nequeat: verendum tamen, ne aliis Facultatibus, quæ vel nuda auctoritate humana, vel ratione, fictionibus ac ſpeculationibus nimium indulgente, aut experimentis ſufficientibus deſtituta, nituntur, palmam aut præripiat, aut du-

dubiam saltem reddat. Nimis odiosum foret, si hac vice prolixam instituere vellem comparationem inter Iurisprudentiam & Medicinam: infinitæ enim causidicorum dissensiones circa interpretationes legum, litigia forensia, quorum alia ex aliis largissimo prouentu seruntur, & sæpe cum pernicie controuertentium ad integros triginta vel quadraginta annos extenduntur, clare testantur, ARCEM illam IVSTITIÆ, ad quam æquis passibus contendunt litigantes, multis semitis tortuosis atque incultis horridisque spinetis debere esse circumseptam, vt hinc tam lento gressu & per totidem vias mæandrosas ad eam tandem peruenire permissum sit. Ego quidem artis nostræ næuos, quibus hinc inde laborat, dissimulare, occultare, vel supparo velare, in me non facile receperim, haud ignorans, vniuersum *byles iatrices* adparatum multis vanis imo falsis pollicitationibus vndique refertum, totam *semioticam* non minoribus adhuc fluctuationibus ac dubiis hinc inde euentibus expositam, imo ipsam quoque *Praxin clinicam*, non solum prout exercenda esset, sed & exerceri vulgo solet, a *curationibus* morborum *cathedralibus*, immensis parasangis differre, sed & pudendis vbique scandalis repletam esse. Interea tamen nemo quoque iure negabit, in reliquis Medicinæ partibus desideratissimam deprehendi certitudinem. Vt enim hac vice pauca tantum specimina exhibeam, summam *primo* certitudinem offert ipsa *Historia Morborum*, nempe fidelis & adcurata recensio præcipuarum tam essentialium, quam accidentalium circumstantiarum, morbum vel comitantium vel consequentium, variorum item *progressuum* & *successuum* in iisdem, interdum ad *salutem*, interdum vero ad *interitum* ægrotantium tardo vel celeri passu tendentium, *indiuidua-*

lium insuper, *consuetudinalium*, imo & *hæreditariarum constitutionum* &c. perspicua simulque fida enarratio. Sua *deinde* certitudine non destituitur quoque *Anatomia*, non quidem *curiosula* illa, sed vere *seria*, quæ historiam partium & organorum humani corporis, situm viscerum, connexionem cum aliis partibus, constructionem earundem organicam &c. exhibet atque prosequitur. Inprimis vero *Anatomia practica*, quæ sectiones cadauerum certis morbis denatorum cordi habet: Hæc enim talia sæpe in apricum deducit, quæ nemini forte alias in cogitationem vnquam veniissent, imo innumeras præfigurationes & gratuitas adsertiones vno obtutu pessundat, spectantium ludibrio exponit euanidasque reddit. Quid? Quod multa quoque *Physiologica* ac *Pathologica* ex praxi attentiore potissimum enata eius sint indolis, vt, si demonstrationibus Geometricis non æquipolleant, minimum tamen ad earum indolem quam proxime accedant. Quæ omnia in Iurisprudentia, etiamsi mundum regere dicatur, omnino desiderari, cordatiores non diffitebuntur.

§. II.

Næuis laborare Iurisprudentiam iamdudum demonstratum dedit Illustris atque Excellentissimus THOMASIVS, in eruditissimo tractatu de *Næuis Iurisprudentiæ Romanæ*. Nobis, ne falcem nostram in alienam messem immisisse iure taxari mereamur, vnicum duntaxat idque luculentissimum exemplum adduxisse satis erit, de *diebus criticis* eorumque *energia*, quam exerere vulgo creduntur in *vulneribus de lethalitate dubiis*. Proh DEVM! Quam fluxæ, variæ ac frigidæ sunt hac in parte ICtorum opiniones? Quanta dissidia? Quanta sententiarum diuortia? Nonnullis omne

id,

id, quod de *dierum Criticorum efficacia* dicitur, aperte negantibus, aliis in heteroclitum & a natura rei alienum conceptum negotium vniuersum detorquentibus : aliis meris coniecturis & præsumtionibus rem tam arduam tribuentibus: aliis ex conditione vulnerum, longitudine, latitudine ac profunditate, ipsorumque armorum figura ac reliqua habitudine totam rem metientibus, aliis vero ex *occulta dierum Criticorum potentia* lethalitatem vulnerum æstimantibus ; aliis denique, si lethiferum extitisse vulnus non primo statim obtutu sensibus ingeratur, culpam in chirurgorum vel medicorum insciriam & negligentiam, vel ipsorum vulneratorum malum regimen, vel funestiora post vulnerationem superuenientia symptomata, temere reiicientibus. Oportebat vero potissimum in talibus rebus, famam ac vitam aliorum concernentibus, firmiori talo incedere, maioremque sectari certitudinem, quia de corio humano agitur, & præceps hic est occasio errandi, & vel reum imprudenter absoluendi, vel insontem temere condemnandi. Cum autem medicorum hoc potissimum sit officium, in vulnerum lethalitatem inquirendi, ipsique Icti ab eorundem iudiciis hac in parte toti dependeant, quorum proinde sententia firma ac valida haberi nequit, nisi relationibus medicorum sit conformis : Hinc existimaui me publico haud ingratum officium exhibiturum, si in *indolem & naturam dierum Criticorum*, ita vulgo dictorum, adcuratius inquirerem, quidue *efficaciæ* in determinanda *vulnerum lethalitate, ex interuallo temporis* potissimum æstimanda, habeant, clare edissererem. Notissimum enim est, vulnerantem ordinariam *legis Corneliæ de sicariis* pœnam non incurrere, nisi de *vulneris lethalitate*, ex qua vulneratus vltimum diem obire potuerit, certo prius constiterit.

§. III.

§. III.

Aſt vero ne præter neceſſitatem nos præcipitemus, aut peruerſo ordine negotium tam arduum adgrediamur, conſultum eſſe ducimus, in anteceſſum declarare, quo ſenſu tam *Criſeos*, quam *dierum criticorum*, denominatio & adplicatio in forum medicum tranſſumta fuerit, quid in ſcholis medentium denotare ſoleat, & in quibus potiſſimum morbis locum inueniat? Vnde deinde haud difficulter patebit, quam *incongrue* ſimili ſenſu in ſuas ditiones pertraxerint hæc vocabula quidam ICti, & quam *inconditæ in diiudicanda vulnerum de lethalitate dubiorum conditione* ſit eorundem *adplicatio*. Merito autem dubium hic nobis videtur, an veteres medicæ artis antiſtites *Criſeos* vocem a Ictis, an vero *hi* ab *illis* primitus mutuati fuerint? quamuis (a) Galenus doceat, medicorum quendam id nominis primum non inueniſſe, ſed *iudicationem* per morbos translatitia adpellatione de foro dictam eſſe; vel quod iudicium tunc temporis de vita ægrotantium ageretur, vel quatenus præcipitem in morbo mutationem innueret. Sicuti autem nihilominus iudicium, licet iniuſtum, eſt & manet iudicium, vt hinc medici a foro vocem iſtam mutuantes excuſari quodammodo mereantur: ita contra Icti, tanto minus iuſtam excuſationem inueniunt, dum vocabula *Criſeos dierumque criticorum* eadem ſignificandi energia ex foro medico ad ſuum transferunt, ad indigitandum nempe illud lethale periculum, quod in *vulneribus de lethalitate dubiis* certis iſtis *diebus*, quos ea propter *criticos* vel *decretorios* (*Gefährtage*) adpel-

(a) Lib. III. de Criſibus cap. II. lit. D. & Comment. III. in Prognoſt. Hippoc. cap. I. lit. D.

adpellant, præfigurare ſibi ſolent, cum tamen *vulnera*, qua talia, ab *efficacia* tali *critica* longe *alieniſſima* ſint. Quæ omnia, vt eo euidentius innoteſcant, paucis ſummam eorum, quæ de *Criſibus diebusque decretoriis* Medici differere ſolent, proponemus: vnde ſtatim diſpaleſcet, *Criſes* talibus diebus, quales in vulneribus attendere ſolent ICti, expectandas non eſſe.

§. IV.

Quicquid interim de *Criſeon* ſeu *iudiciorum dierumque criticorum* ſeu *iudicatoriorum indole*, *natura & efficacia* dici poteſt, ex Hippocratis, Galeni aliorumque Veterum monimentis abſolute petendum eſt; hi enim admirabilem nauarunt induſtriam non ſolummodo in conſignanda *Hiſtoria facti*, quod *Criſes* reapſe fiant, ſed &, quales earundem differentiæ ſint, quænam *iudiciorum* ſalutarium iamiam inſtantium notæ, characteres & indicia? Qua ratione futuræ *Criſes* & quibus notis præcognoſcendæ? Quo modo futurum ſit *iudicium*, an per *excretionem*, an vero per *abſceſſionem?* Quæ cuiuslibet excretionis, ſiue per *ſudores*, ſiue per *vrinas*, ſiue *ſaliuationem*, ſiue alia ratione ſucceſſuræ, ſpecialia ſigna ſint? Quibus diebus *Criſes* tam *ſalutares*, quam *lethales*, *perfectæ*, vel *imperfectæ* expectandæ veniant &c. In hiſce enim omnibus diligenter adnotandis curioſum & induſtrium fuiſſe tam Hippocratem, quam inprimis Galenum, docent integri tres Libri, quos poſterior de *Criſibus*, totidemque, quos de *diebus decretoriis* conſcripſit. *Quare turpe eſſe Medico, inſtante Criſi more vulgarium perterreri*, prudenter adſeruit, *quippe quem deceret potius non ſolum præſentem criſin, quorſum euaſura eſſet, intelligere, ſed & futuram præcognoſcere.* Quæ tamen omnia eo non ſpe-

 ctant,

ctant, quasi hisce nostris temporibus sub *frigidiori*, quod inhabitamus, *climate Septentrionali*, nullæ penitus *crises* expectandæ sint, quod non tantum antiquissimis temporibus, teste *Galeno*, delirauit *Asclepiades*, sed & multi recentiorum eadem correpti insania contra innumeras easque quotidianas obseruationes, in *febribus acutis & exanthematicis* facile deprehendendas friuole negant: sed quod prisci illi Medici, industria & obseruandi dexteritate modernos nostros multis parasangis superauerint, atque hinc præ his eo potissimum nomine solennius commendari mereantur, quamuis horum etiam non pauci in iis, quæ ab Hippocrate concisius & obscurius dicta fuerunt, declarandis & illustrandis laudabilem collocauerint operam.

§. V.

Cum autem vocabulum *Criseos* a variis varie accipiatur, atque hinc metuendum, ne alieni vel falsi conceptus incautis insinuentur, necessitas vtique iubet, vt, quid per *Criseos* seu *iudicii* vocem antiqui intellexerint, clarius edoceamus. (b) Hippocrates per *Crisin* intelligit *solutionem morbi;* neque enim formulæ, quibus in scriptis suis perfrequenter vtitur *Cous, hunc vel istum ægrum hoc vel illo die perfecte iudicatum esse*, alium possunt habere sensum, quam *morbum*, quo æger detinebatur, *solutum* esse. (c) Galenus vero πολύσημον esse vocabulum *Criseos* statuit, dum vel sumit pro *subitanea* in morbo *mutatione*, vel eiusdem ad *meliorem statum inclinatione* sola, vel pro *ea, quæ Crisin antecedere* solet, *agitatione*, vel pro *integra morbi solutione*, vel pro *ea tantum*, quæ *bona* est. Nempe 1.) *vocabulum Cri-*

(b) Libr. de præceptionibus.
(c) Sub initium Libr. I. de Crisibus Cap. I.

Criſeos ad mentem Galeni ſumitur pro *ſubitanea & repentina morbi mutatione*, quo ſenſu non ſolummodo in *Prognoſticorum & Epidemiorum*, ſed & ipſis *Aphoriſmorum Libris* occurrit, atque adeo præcipitem talem in morbis mutationem ſignificat, plane diuerſam ab iis morborum mutationibus, quas λύσεις adpellant, non tam acutis, quam chronicis adfectibus proprias. Accipitur 2.) *Criſis* pro inclinatione morbi in melius, quod tamen non tam proprie loquendo *iudicium*, quam potius eiusdem defectum innuere videtur. Denotat 3.) illam perturbationem, ſymptomatumque omnium exacerbationem inſignem, quæ ſolennes iſtas *excretiones criticas*, vel ſaltem *decubitus* & *abſceſſiones* ita dictas præcedit: vnde (d) Hippocrates noctem *Criſin* immediate præcedentem grauiorem, poſt eam vero quietiorem ſeu leuiorem pronunciat. Et (e) Galenus ſine *certamine nullam fieri Criſin* obſeruauit. Notat 4.) omnem *morbi ſolutionem*, ſiue *ſubito* fiat, ſiue *pedetentim*, ac denique eam tantum ſolutionem, quæ ad bonum & ſalutarem exitum terminatur. Quas diuerſas *Criſeos* acceptiones omnes, vel ideo ſicco pede præterire non licuit, quod neutra illarum quadrare videatur in *eas*, quas *certis diebus* in *vulneribus de lethalitate dubiis* metuunt, *alterationes* periculoſas, de vita vel morte ægrotantis veluti decernentes, ſicuti ſequentia clarius demonſtrabunt.

§. VI.

Nos, variis hiſce vocis ſignificationibus ſuo loco relictis, genuinam *Criſeos* indolem clarius ob oculos poſituri, eam plene definimus: *Criſis* nempe eſt *conatus Naturæ*, *di-*

(d) Sect. II. Aphor. 13.
(e) De Criſibus Libr. VI. cap. IX. Litt. B.

rectus active ad plenariam morborum acutorum eorundemque causarum expugnationem seu vegetam excussionem, beneficio motuum ipsi consuetorum, nempe secretoriorum & excretoriorum, & quidem certa dierum, quos indicatorios vocant, periodo expediendam. Vnde statim dispalescit 1.) *Causam crises* mouentem esse *naturam*, quodcunque tandem *Agens internum* per eandem intelligatur. 2.) *Crises* non habere locum, nisi in *febribus* aliisque morbis *acutis* similibus: morbi enim *chronici* per λύσιν potius terminantur. 3.) *Nullam salutarem* institui *Crisin* sine præcedente sufficiente humorum *coctione*, seu præparatione ad *secretionem*, indeque demum expectandam *excretionem*: vnde notatu dignissima est deriuatio, quod ex *Hesychio* & *Suida* notatum est, nempe τὸ κρίνειν idem esse ac per *cribrum* aliquid *excernere* seu *seguestrare*. Et 4.) vniuersum hunc adparatum non fieri *promiscue*, sed *certo* tantum *dierum*, nempe *criticorum*, *interuallo*. Quæ omnia, vt rectius præcipue ab iis, qui extra pomoeria artis sunt, intelligantur, clariorem quidem, sed breuem, deductionem merentur.

§. VII.

Quæ vero est *Natura* illa, quæ *Crises* mouet, quæ contra vim morbi *actiuo conatu* insurgit, eamque vegete excutere molitur? Ita enim interpellare & quærere solent nonnulli recentiores, phrasiologiis veterum non adsueti, quos ipse Galenus iam suo tempore ita loquentes ac veluti disputantes introducit: quæ, inquiunt, est natura illa? Quomodo nobis persuadebitis, naturam quandam omnia agere ad animantium salutem? Vel eadem natura superfluitates expellente quosdam a morbo liberari? Verendum potius, ne ens obscurum, vel idolum ignotum nobis obtrudatur, sontico-

ticorum istorum effectuum causa. Tales vero non aliam merentur responsionem, nisi quam eodem loco adduxit *Galenus:* nimirum responsione dignos non esse, qui agnoscere aut non possint, aut non velint: NATVRAS ESSE MORBORVM MEDICATRICES. Equidem *Hippocratem* quod attinet, nuspiam ille diserte enunciauit, quid per naturam, cuius admiranda opera vbique deprædicat, proprie intelligat? operationes tamen, quas eidem passim tribuit, satis demonstrant, ipsum per *naturam* nihil aliud intellexisse, quam *principium* seu *agens vniuersale*, quod etiamsi a nemine edoctum sit, omnia tamen, quæ conueniant, faciat. Eandem hanc naturam, viribus suis vsam, quæ noxia sint, expellere, quæ vero vtilia, vsui seruare: eam sibi ipsi inuenire egressiones seu vias, non edoctam esse eandem, & cuncta tamen, quibus opus sit, facere &c. Eadem plane ratione de *natura* differit *Galenus: naturam* nempe omnia facere salutis hominum causa; eandem esse animalium seruatricem, morbos finire, decernere, quæ conueniant, seruare, quæque aliena sint separare: atque hinc Medicum, naturam recte operantem sequi & imitari debere. Simili modo, ad mentem Hippocraticam, etiam de *natura* loquitur *Excellentissimus D. Stahlius:* eam nempe esse agens aliquod cum electione, & dirigens propter finem & scite ad finem: necessarium omnino esse, vt aliquod internum in corpore humano agnoscatur principium, quod actiones eius moderetur ac dirigat, atque ita quidem dirigat, vt ratio nostra vtilem finem atque adeo etiam intentionem agnoscat. Ipse insuper demonstrat: naturam sæpe sine Medico, siue medicatione artificiali non suffultam, scopum tamen sanationis feliciter adsequi, imo in febribus præcipue eandem sibi soli interdum sufficere & sine ope externa sibi consulere.

§. VIII.

Ex quibus omnibus, puto, intelligere integrum est, quomodo quæstioni propositæ satisfacere oporteat, per *Naturam* nempe intelligendo causam, seu *principium agens* in corpore humano *internum*, quod totam istam machinam moderetur, quod cum morbo commissum extremum certamen non detrectet, sed magno potius impetu insurgat, noxium ab vtili secernendo per *debitas* non solum *vias*, sed & *conuenienti tempore* ac *ordine*, vtilemque ac salutarem in finem. Vnico vt me expediam verbo, sola hæc *Natura* est *motuum* istorum ad *secretionem* & *excretionem* vergentium, quos *criticos* vocamus, causa, fons atque origo. Quo vero speciali nomine alio istud principium sit indigitandum, nec *Hippocrates*, nec *Galenus*, nec *Eresius* vllusue veterum determinauit, contenti solo τῆς ἀρχῆς nomine, vnde archei nomen licet arcessere, nec ad rem nostram præsentem attinet determinare. Est tamen a ratione sana alieniſſimum, imo potius Sirenibus Poetarum simillimum non nullorum commentum, quando decantatam illam veterum *Naturam ætheri consueto*, qui a prima statim infantia sanguinem reliquosque humores permeare solitus sit, æquiparare non dubitant. Hunc enim *Waldschmidius* pro vnico morborum acutorum medico agnoscit; huic in negotio *moliminum criticorum* primas deferre, non dubitat: hunc tanquam *consuetum* ac veluti *inquilinum* hostiliter congredi cum *æthere insolito*, per contagium vna cum aere aduecto, atque de regimine cum *consueto* contendere: vnde si mala fortuna contingat, vt *peregrinus consuetum* expellat, *naturam* succumbere & ægrum mori; quod si vero *consuetus* de *peregrino* victoriam reportet, cuncta pedetentim instaurari, & quietiora reddi, pacem fieri, & ægrum

ex

ex eo, in quo hactenus versatus est, discrimine, eluctari & ad pristinam sanitatem reuerti. Cui toti fabulæ vt splendidior adhuc adparatus scenicus instruatur, tota illa lucta comparatur fermentationi seu potius efferuescentiæ, quæ ex mutua butyri antimonii cum spiritu nitri, vel olei tartari per deliquium cum spiritu vitrioli confusione & instillatione exsurgit. Hoc enim omne nemini ratione sua recte vtenti facile persuadebitur.

§. IX.

Nos interea pergimus, brevibus etiam indicaturi, *morbos acutos* esse verum *motuum criticorum subiectum*: hi enim sunt, qui citissime tempora sua percurrunt, & ab *initio* tendunt ad *augmentum*, ab hoc vero ad *statum* seu ἀκμὴν morbi, vbi tandem *Crisis* sequitur: neque enim cuncti hi morbi primo statim inuasionis suæ tempore summum sui gradum acquisiuisse obseruantur, sed paulatim crescendo ac sensibiliter satis increbescendo ita augentur, donec tandem summum suum vigorem, quem *statum* adpellant, acquirant, sicuti peritissime iamdudum obseruarunt veteres. Referimus autem ad hunc censum *febres acutas & exanthematicas, petechiales, variolas, morbillos, pestilentiales*, imo *pestem* ipsam: neque hinc excludimus morbos quosdam *acutos pectoris* cum febre stipatos, vti sunt *pleuritis* & *peripneumonia*, quales adfectus ratius per hæmorrhagiam narium, crebrius per copiosam sputi reiectionem, per diarrhœam, nonnunquam etiam puris vna cum vrina reiectionem *iudicantur*. Hæc vero omnia eo restringere nolim, quasi *morbi* sic dicti *chronici moliminum* eiusmodi *criticorum, secretoriorum & excretoriorum*, quibus apospasmata inconuenientia, inutilia & mixtioni animali certo nocitura a reliqua vtili humorum massa sequestrantur

& se-

& secernuntur, ac tandem per conuenientia organa & emunctoria publica eliminantur, *capaces* non sint: contrarium enim innumeris exemplis in quotidiana praxi obseruabilibus, demonstrari statim posset, v. g. in febribus tertianis vomitu spontaneo solutis, anasarca profluuio alui sanata, hydrope vel vomitibus aquosis, vel largiori sudore profligato, vertigine hæmorrhagia narium vel saliuatione critica sublata, icteritia succedentibus hæmorrhoidibus profligata &c. Sed tales *autocraticæ* morborum diuturnorum *depulsiones* non tam *Crisi* proprie, quam *solutione* potius terminari censendi sunt.

§. X.

Ex his autem simul eluceſcit, nullam vnquam *salutarem Crisin* esse expectandam, nisi *excretio* quædam effatu digna, aut *abscessus* aliquis contigerit: ita enim diserte docet Galenus, neminem morbo subito liberari, nisi omnino eidem aliqua euacuatio effatu digna, vel per *vomitum*, vel per *ventris exonerationem*, vel *sudores*, vel *vrinas*, vel *sanguinis e naribus profluuium*, aut ex *sede per hæmorrhoides*, aut in mulieribus *per purgationem menstruorum* contigerit: non paucos tamen etiam tempore opportuno liberasse *parotides*, & ad pedes, & ad genua, & ad aliud quoddam membrum ignobile *decubitus* adnotauit. Cum autem secundum eiusdem obseruationem tales *excretiones* frustra sperentur absque sufficiente humorum ad *secretionem* & *excretionem* præparatione: hinc vbique quam diligentissime ad signa *coctionis* attendendum esse iubet, confidenter adserens, se neminem vnquam, etiamsi vel millies, dum *Crises* fierent, interfuisset, perire vidisse, qui præcedentibus *coctionibus crisin* habuisset, & maximum instantis *bonæ Criseos* indicium esse *coctiones*, qualium coctionum signa desumsit potissimum ex vrinis,

quæ

quæ ſi bene coloratæ fuerint, & æqualem habeant ſubſidentiam, *coctionis* ſignum exhiberent : cum e contrario tenues, quæque nullam haberent ſubſidentiam, *cruditatis* ſignum præberent, & illas quidem ſemper *bonas*, has vero *malas* eſſe. Similiter *Hippocrates* ad vrinas probe *coctas* attendere iubet, i. e. quæ nec tenues, nec albæ, nec copioſæ fluant, ſed bene ſaturatæ ſint, conſiſtentiam habeant & ſedimentum deponant: *Crudas* enim & *incoctas*, & in malos *abſceſſus* conuerſas, in febribus aut *iudicationis* ſublationem, aut *dolores*, aut *diuturnitatem*, aut *mortem*, aut earundem *recidiuas* ſignificare. Quemadmodum autem ad ſigna *coctionis* reſpicere iubet ſolertem medicum, ita ſimul etiam ſerio monet, vt ad *ſubitam* præter rationem circa corpus factam *perturbationem* animus diligenter aduertatur : Fieri enim omnino aliquam *nouitatem*, quando *Criſis* futura eſt, vel circa *reſpirationem*, vel circa *mentem*, vel *auditum*, vel *viſum*, vel *ferendi facilitatem*, vel circa aliquod eorum, quæ vno nomine *iudiciaria ſigna* adpellantur; quare omnem etiam *Criſin* in ſtatu fieri prudenter iudicauit.

§. XI.

Fiunt ergo, vt ex modo dictis abunde colligere licet, omnes *Criſes* vel 1.) per ſinceram euacuationem, nempe vel per *ſudores*, vel *vrinas*, vel *diarrhœas*, vel per *hæmorrhagias narium*, *hæmorrhoides*, *profluuium menſtruorum*, vel per *ſaliuationem*, ſeu reiectionem copioſam ſputi & ſaliuæ, & quidem *ſalutarem*, ſi *diebus criticis* contingant, *minus* vero *ſalutarem*, ſi *diebus non criticis* eueniant. Vel 2.) fiunt etiam *Criſes*, magis tamen *imperfectæ*, per *apoſtaſes* atque *decubitus*, vti ſunt *bubones*, *eryſipelata*, *maculæ*, *puſtulæ*, *parotides*, *dolores* & *tumores coxendicum*, *carbunculi*, *furunculi* &c.

§. XII.

Quemadmodum autem *molimina* ista *Naturæ critica*, ad *secretionem* & *excretionem* tendentia, tum demum salutaria pronuncianda, si post sufficientem humorum præparationem & coctionem, indeque expectandam legitimam secretionem, instituta fuerint, eamque deinde talis materiæ morbificæ vel sincera excretio, vel translatio & depositio subsequatur, quæ præsenti ægrotantis habitudini ipsiusque morbi indoli quadret & conueniat, nec non cum manifesta symptomatum mitigatione sint stipata, inprimis vero in *dies* ita dictos *criticos* incidunt: ita potissimum hæc vltima consideratio ad pleniorem *dierum criticorum* declarationem nos deducit, cum præcipue ea, quæ de *Crisibus* hucusque disputata sunt, non alium in finem prolixius discussa fuerint, quam vt *naturam & indolem dierum criticorum* eo exactius contemplari liceret. Nam in rebus hisce recte diiudicandis ICtus a medico dependet, & æquitati valde consentaneum est, vt ICti medicorum, artis suæ probe gnatorum, decretis & iudiciis sese conforment, ne diuersa computandi ratio ipsi rei præiudicium adferat. Interim non placet, hic *remotiue* agere, & qua ratione diem computauerint vel Hebræi, auctoritate vtcunque diuina nitentes, vel qui eosdem imitati sunt, Athenienses, vel Chaldæi, vel Ægyptii & Arabes aliique, prolixe recensere; differre potius cum *Heinlino* enunciamus, nos in *dierum criticorum* computatione intelligere τὸ νυχθήμερον, diem nempe naturalem seu illud temporis spatium, quod vna lucis solaris & succedentium tenebrarum circumuolutione constat, numerationem ordiendo a media nocte præcedentis & finiendo circa mediam noctem sequentis diei. Vt adeo quicquid duabus noctibus dimidiatis & luce intermedia,

h. e.

h. e. 24. horis comprehenditur, diem naturalem nominare fas sit. Κρίσιμοι vero *critici*, *decretorii*, *iudicatorii* adpellantur iidem *dies*, quod veluti iudicium feratur, vel decernatur in illis de exitu morbi, siue *salutari*, siue *lethifero*. Quæ omnia si in vnam summam conferantur, inde tandem conficietur: *Dies criticos* esse illos, in quibus veluti iudicium fertur de certamine naturæ cum morbo, quem scil. exitum, an faustum vel funestum, salutarem vel lethalem habiturum sit, exserens sese circa ἀκμὴν morbi, vel cum singulari quadam excretione, qua ratione morbus *perfecte iudicatur*, vel saltem cum apostasi seu abscessione, quo modo morbus *imperfecte* tantum *iudicatur*. Germani non incongrue ita exprimunt; *Urtheil-fällige Tage, da es sich mit der Kranckheit ausweisen muß, oder, die der Kranckheit gleichsam einen Ausschlag geben, es gehe zum Leben oder zum Tode.*

§. XIII.

Et sane negotium hoc omni solertissima animaduersione dignissimum, cum vniuersa tam *scientifice præsagiendi*, quam *dextre curandi* ratio huic veluti fundamento superstruatur, etiamsi rationes eiusdem plerisque abstrusæ, inque Democriti puteo absconditæ, ac veluti sepultæ videbuntur, nempe mirabilem illam morborum acutorum conuersionem, siue in melius, siue in deterius, siue ad salutem, siue ad mortem, non promiscue in quosuis, sed certos tantum dies, quibus ea propter *Criticorum* denominationem imposuerunt, incidere: id quod etiam tantopere mirandum non est, cum multarum rerum *nudos actus*, nedum *rationes fiendi* profundissime ignoremus. Hippocrates, diuturna experientia edoctus, *septenorum & semi-septenorum*, *quarti* nempe & *vndecimi*, miram in soluendis adfectibus acutis extollit efficaciam.

Iubet insuper, (f) Medicum, qui ægrotorum salutem recte coniectare voluerit, animaduertere & contemplari debere omnes dies, potissimum vero ex paribus *decimum quartum*, & *vigesimum octauum*, & *quadragesimum secundum*: Dies maxime insignes in plurimis esse primos & septimos, multum quippe valentes in morbis. (g) Placidissimas febres & signis securissimis nitentes quarto die desinere aut prius; malignissimas vero & signis horrendissimis oborientes, quarto die aut prius occidere: itaque primum ipsarum insultum sic desinere, secundum ad septimum produci, tertium ad vndecimum, quartum ad decimum quartum, quintum ad decimum septimum, sextum ad vigesimum. (h) Febres iudicari quarta die, septima, vndecima, decima quarta, decima septima & vigesima prima: Quasdam etiam ex acutis trigesima, deinde quadragesima, postea sexagesima, & (i) alibi enunciat. Ex omnibus hisce textibus Hippocraticis palam est, *dies* omnium *valentissimos* ad mouendum *Crises* esse *septimum*, post hunc *decimum quartum*, & sic (in casu producto) *vigesimum primum*. Reliqui non *critici* vel *indices* sunt, *Crisin criticis diebus* futuram *præmonstrantes*, sicuti hoc modo *quartus* est index *septimi*, & *vndecimus* index *decimi quarti*. Vel *intercalares*, *criticos* & *indices* veluti intercedentes, quales sunt *tertius*, *quintus*, *nonus*, *decimus tertius*, *decimus quintus* & *decimus nonus*. Vel *vacui*, quos alias etiam *medicinales* vocant, iure ne, an iniuria, hac vice disquirere, nec vacat, nec opus est.

§. XIV.

(f) Libr. de partu septimestri §. VI. & VIII.
(g) Libr. de Prænotionibus §. XX.
(h) Libr. de diebus criticis §. IX.
(i) Sect. II. Aphor. 23. & 24.

§. XIV.

Galenus, qui Hippocratis vndiquaque admirabilis vestigia sollicite legit, decreta diui senis multiplici experientia roborata vbique confirmat. In libris enim de *diebus decretoriis* hæc passim leguntur: *Iudicia* quidem seu *crises* singulis diebus accidere, sed neque pares numero, neque ex æquali fide: hoc intercedere discriminis inter illas, quod aliæ *bonæ*, aliæ *malæ*, eueniant, quasdam cum pluribus & difficilioribus symptomatibus & maiore certamine, non nullas statim ab initio tuto accidere. Omnium denique *decretoriorum fortissimum* iudicat esse *septimum*, eumque prænunciare diem *quartum*, deinde *vndecimum* & *decimum quartum*, eandem proportionem & naturam inuicem conseruantes, quam cum *septimo quartus* &c. Plura ex antiquorum scriptis loca excerpere superfedeo, id enim, exquisitissima industria & iudicio, iamdudum factum est ab Excellentissimo *D. Hoffmanno in disputat. de diebus criticis.*

§. XV.

Hoc modo obseruationes suas circa *dies criticos* eorumque *efficaciam* instruxerunt antiquissimi medicinæ antistites, firmissime sibi persuadentes, non posse non fieri, vt hisce potissimum diebus semper solennia *iudicia* instituantur, naturæque motus statutis periodis pro sui ratione certissime contingant, nisi ab externis peccatis circuitus suos seruare prohibeantur. Quod & Galenus optime agnouit, dum (k) ita loquitur: Committuntur quædam peccata ab ipso ægroto, quædam a medicis admirandis, putantibus, nisi quis introgressus ad ægrum, deinde succingens se vel cataplasma imposuerit, vel venam inciderit, vel nutriuerit, aut huius-

(k) Libr. II. de diebus decretoriis Cap. XI.

modi aliud factitauerit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum: Hi enim quoties ægrum accedunt, toties peccant. Non igitur iudicium in septimo die semper, ad quem paratum erat, fieri potest, tot interea erroribus admissis: quandoquidem naturæ motus statutis periodis pro sui ratione contingit, interim ab exterioribus peccatis circuitus seruare prohibetur.

§. XVI.

Desinant ergo ineptire plurimi nostrorum temporum medici, qui critica molimina talia statis ac certis temporibus contingentia in hisce nostris frigidioribus ac borealibus regionibus non expectanda, sed mature præoccupanda, vel potius negligenda esse, sibi aliisque persuadent. Commendamus ipsis, vt sepositis paulisper præconceptis opinionibus ea, quæ quotidie magno numero conspicienda sese præbent, phænomena in hominibus plebeiis & rustica gente, *febribus acutis*, *morbillis*, *variolis*, &c. laborante, & sæpius *sine medico*, imo *medicatione artificiali*, morbos istos feliciter superante, & *criticas* tales *mutationes* placide expectante, ad serium examen reuocent, & obseruabunt non solummodo, naturam sæpe talibus in morbis vndiquaque sibi soli sufficere, & externis talibus subsidiis non adiutam, vel saltem intempestiuis medicamentis minus turbatam exquisite satis talium morborum periodos vtplurimum ad salutarem finem producere; sed etiam plane contrarium, vel inuiti agnoscent in patientibus tenerioribus, in ciuitatibus degentibus, qui incongruis medicorum artificiis exhausti non tantum *criticas* tales *euacuationes* statis periodis non experiuntur, sed &, morbo tandem bonis auibus superato, in *diuturnas* totius corporis *debilitationes* præcipitabuntur, ex quibus longo tandem tempore vix emergere & ad pristinam suam alacritatem redire valent,

lent, quod in ignobili illa ac ruſtica plebe longe ſecus ſeſe habet. Extat hanc in rem elegans locus apud *Martianum Comm. in Hippocratem p. m. 128.* vbi cauſatur & continuum medicamentorum refrigerantium vſum, latius viſendus.

§. XVII.

Omnia hæc ac ſingula ſi rite, prout decet, expendantur, mirum videri poſſet, quomodo primi in eas cogitationes deſcenderint ICti, ipſis quoque *vulneribus criticam* talem, *morbis acutis analogam, efficaciam* adſcribentes, cum ſua natura ab eadem alieniſſima ſint. Sicuti autem in innumeris aliis, ita potiſſimum etiam in determinandis *criticorum dierum* effectibus, quos ſecundum vulgaria præiudicia in vulnera ratione periculi, vel ſecuritatis exerere dicuntur, autoritate *Zacchiæ* decipi ſeſe paſſi ſunt, quippe quam nonnulli tanti æſtimant, vt eundem *omniſcium* ridicule adpellare non erubuerint, eo ipſo vanitatem ſuam ac ſeruilem venerationem aperriſſime prodentes. Quamuis enim, in reſoluendis plurimis *quæſtionibus medico-legalibus*, egregium omnino ſeſe præſtiterit *Zacchias:* Paraſiticam tamen indolem redolet immodicis, quasque ipſemet, ſi in hanc vitam redire integrum ipſi eſſet, non agnoſceret, laudibus virum alias meritiſſimum non tam ornare, quam onerare. Ille interim, praeter multas alias coniecturas, ex quibus *lethalitas vulnerum* æſtimanda, eam præ (1) reliquis omnibus magni faciendam eſſe iudicat, quæ a *tempore*, vulnus & mortem intermedio, deſumitur, licet etiam non diffiteatur, habere rei huius deciſionem parem & difficultatem & neceſſitatem, tum ob multiplicem vulnerum differentiam, tum ob infinita propemodum ab extra vulneribus accidentia, ob quorum culpam vulnera

(1) Quæſt. Medico-legal. Libr. V. Tit. II. Quæſt. V. n. 1.

nera aliquando citius, aut ſerius, occidunt, vel ſanantur, quam deberent, tum ob variam indiuiduorum conſtitutionem & naturam. Inde igitur porro conficit, quod, ſi quæ coniectura ex *tempore*, vulnus inter & mortem medio, deſumenda ſit, vt nempe *vulneratus* ex *vulnere*, non ex alia quacunque cauſa, *mortuus* eſſe præſumatur, terminus morborum acutorum in vulneribus lethalibus & periculo proximis præ cæteris acceptandus ſit: vnde vulnerato intra hunc terminum decedente, eundem ex vulnere deceſſiſſe dicendum eſſet, addita etiam concluſionis ratione, nempe hac, ſtante cauſæ euidentia cum ſufficientia eiusdem coniuncta, in futuram mortem influente, non debere culpam mortis in aliam minus euidentem coniici. Atque ſecundum hanc concluſionem exiſtimat ſæpius allegatus *Zacchias*, quod *vulnerato intra triduum*, & multo magis *eodem die*, decedente, ipſe præſumatur vtique ex *vulnere mortuus*, non obſtantibus quibuscunque: quia vix dari poſſet morbus acutus, qui vulneri non ex culpa vulneris ſuperueniat, quique tam breui ſpatio hominem e vita tollat. Et ſicuti hanc concluſionem non ſolummodo pro veriſſima accipit *Zacchias*: ita eandem quoque ampliandam & ad ſeptimum vsque extendendam eſſe exiſtimat. Itaque hac falſa atque præconcepta *Zacchiæ* opinione inducti ICti, in ipſam quoque praxin forenſem eandem introducere non dubitarunt. Vt proinde communis, in foro recepta, & multorum celeberrimorum ICtorum calculo & adplauſu adprobata ſententia circa *efficaciam dierum criticorum in vulneribus de lethalitate dubiis* hæc ſit: Iudicem prudentem & conſcientioſum in *vulneribus dubiæ lethalitatis*, reliquis coniecturis & præſumtionibus inſuper habitis, *certam temporis periodum* omnino attendere debere, ac proinde *terminum morborum acutorum*, qui ſecundum vulgarem

garem medicorum hypotheſin eſt *quadrageſimus dies*, præ reliquis in *vulneribus lethalibus* & periculo proximis eſſe acceptandum: adeo, vt ſi termino hoc transacto moriatur vulneratus, præſumatur minime tunc ex vulnere, ſed ex aliquo alio accidente, malo regimine, ſymptomate vehemente, negligentia medici & chirurgi &c. deceſſiſſe, ſicque vulnerantem non teneri de *occiſo*, ſed de *vulnere* tantum defuncti; veroſimile enim eſſe, tanta temporis intercapedine nouam irrepſiſſe cauſam, quæ morti tandem ſubſecutæ occaſionem dederit.

§. XVIII.

Neque tamen ſola *Zacchiæ* auctoritas errori anſam ſubminiſtraſſe videtur, ſed & peruerſa Conſtitutionis criminalis Carolinæ Art. CXLVII. interpretatio, vbi certe Imperator per *aliquot dierum interſtitium* non intelligit *dies* illos, quos ſecundum eminentiam *criticos* ſeu *decretorios* vocant, quique in *vulnus*, eiusque conditionem naturalem, ſingularem exerant *energiam, Criſibus in morbis acutis* per omnia *ſimilem*, ſed ſimpliciter tantum *tempus in genere*, non *certam numero dierum periodum*. Verba *Conſtitutionis* dictæ ita ſeſe habent: *So einer geſchlagen wird, und NB.* über etliche Zeit *darnach ſtürbe, alſo, daß zweiffelich wäre, ob er der geklagten Streiche halber geſtorben wäre oder nicht, in ſolchen Fällen mögen beyde Theile Kundſchaft zur Sachen dienlich ſtellen, und ſollen doch, ſonderlich die Wund-Aertzte der Sachen verſtändig, und andere Perſonen, die da wiſſen, wie ſich der Geſtorbene nach den Schlägen und* Rumor *gehalten habe, zu Zeugen gebraucht werden, mit Anzeigung*, wie lange *der Geſtorbene nach den Streichen gelebt habe, und in ſolchen Urtheilen die Urtheiler bey den Rechtsverſtändigen, und an Enden und Orthen, wie zu Ende dieſer unſerer Ordnung angezeiget, Raths pflegen.* Ex

qua glorioſisſimi Imperatoris Conſtitutione ſtatim liquet, eam loqui 1.) de vulnerato, non e veſtigio ab accepto vulnere, ſed poſt aliquod temporis interuallum moriente: *So einer geſchlagen wird, und über etliche Zeit darnach ſtürbe* &c. 2.) Loqui eandem de *vulnere lethalitatis dubia*, vt certo adfirmari nequeat, num vulneratus ex accepto vulnere deceſſerit, nec ne? *Alſo, daß zweifelich wäre, ob er der geklagten Streiche halber geſtorben wäre, oder nicht?* 3.) Vi eiusdem Conſtitutionis ab vtraque parte teſtes eſſe producendos, chirurgos potiſſimum, quo nomine etiam medicos eſſe intelligendos, nemo facile negare ſuſceperit: his enim, tanquam peritis in ſua arte credendum, ſi nempe in iudicio deponant, quamdiu vulneratus poſt acceptum vulnus ſuperuixerit? *Und ſollen ſonderlich die Wund-Aertzte zu Zeugen gebrauchet werden, mit Anzeigung NB.* wie lange *der Geſtorbene nach den Streichen gelebt habe.*

§. XIX.

Vt vero meridiana luce conſtet clarius, nullum præiudicii vulgaris patrocinium, pro adſtruenda *dierum criticorum efficacia in vulneribus*, peti poſſe ex dicta *conſtitutione Carolina*, tres inprimis caſus formabimus, & ſecundum illos controuerſam quæſtionem examinabimus, ſicque in neutro illorum vllam *diebus decretoriis* efficaciam tribui aut competere poſſe facile obſeruabimus. *Primus caſus* eſt: vulneratum mox ab inflicto vulnere concidere animamque exhalare, ſicque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe, vulneratum ex accepto vulnere, quippe *per ſe & abſolute lethali* certo & citra omnem contradictionem mortuum eſſe. Exemplo eſſe poſſunt vulnera cordis, alterutrum, vel vtrumque ventriculum penetrantia, quæ cum circulationem ſanguinis breuiſſimo tempore impediant, omni quippe cruore intra pecto-

pectoris cauum effuso, quis est, qui eiusmodi vulnera non *absolute & per se lethalibus* adnumerauerit, quandoquidem hoc modo vulnerati breuissimo ab accepta plaga tempore concidere spiritumque efflare solent; sicuti funestissimum eius rei casum ante paucos annos in Studioso Hallensi quodam habuimus, cui vterque cordis ventriculus vna cum pulmone perfossus erat: vnde non solum pericardium, sed & vniuersam propemodum sinistram pectoris cauitatem cruore congrumato refertam sectione deprehendimus. Neque quicquam iuuabit, rariora quædam ac plane singularia vix singulis seculis semel atque iterum obseruanda exempla hic in medium adducere, eiusmodi vulnerum cordi inflictorum, quæ post aliquot demum horas vel dies integros finem vitæ imposuerunt, qualem historiam doctissimus *Blegny* meminit cuiusdam Parisini, qui ex vulnere dextri ventriculi *sub finem quinti diei* mortuus est. *Albinus* olim *Viadrinus*, nunc *Lugdunensis Professor*, ante complures iam annos in Academia Viadrina publice disputauit de corde cerui a Serenissima Electrice Brandenburgica Dorothea glande plumbea per ventriculum dextrum traiecti, & mortui instar prostrati, & nihilominus post tres horæ quadrantes quatuor circiter millia passuum aufugientis. *Diemerbroeck* refert historiam iuuenis viginti duorum annorum, robusti, gladio vulnerati, ita, vt in dextrum cordis ventriculum vulnus penetrauerit, qui post acceptum vulnus per 50. aut 60. passus processit, tumque concidit, & syncope correptus ab aliis domum delatus fuit, breuique post ad se rediit. Et memorant medici atque chirurgi, qui curam eius gesserant, ægrum semper mente integra fuisse, nec de interno aliquo dolore vnquam conquestum, liberaliter quoque tussisse ad sanguinis effluxum promouendum, quotidie aliquid edisse ac bibisse, vsque dum vi-

ribus deficientibus moreretur, postquam ab inflicto vulnere vixerat dies nouem & octo horas. Ex his autem similibusque rarioribus ac plane singularibus obseruationibus, si quis vanas subtilitates & distinctiunculas procudere, & absolutam cordis vulnerum lethalitatem infringere ac dubiam reddere vellet, metuendum sane, ne turpiter sese prostitueret. Qui vero insuper *Crises* expectaret, ad Anticyras plane relegandus foret, vt ibidem ab atra bile, quæ glandulam pinealem cum cerebro & cerebello obsessam tenet, repurgaretur.

§. XX.

Estque hic casus tantæ claritatis, vt etiamsi *inspectio* plagæ vel vulneris *illegalis*, erroresque in regimine haud leves commissi fuissent, medici insuper & chirurgi officio suo dextre non satisfeciissent, singularum tamen harum circumstantiarum nulla habeatur ratio, sed vulnerans pœnam ordinariam promeruisse iure dici mereatur. Hoc modo *grauem contusionem capitis cum fissura cranii cruorisque intra cerebrum & piam matrem effusione*, non obstante *illegali inspectione, lethalem* pronunciarunt *Lipsienses* Anno 1681 in responso his verbis: *Als ... so erachten wir dafür, daß, weil der Entleibte bald nach empfangenen Schlägen jählings sprachloß zu Boden gefallen, in die 2. Stunden also liegen geblieben, auch, ob er schon hernach selbst wieder aufgestanden, in die Stuben und Cammer gegangen, dennoch wenig Worte nur geredet, viel Geblüthe durch den Mund, Nasen und Obren* excernirt; *dahero nothwendig zu vermuthen, (obgleich NB. in dem* Attestato *nichts davon* expresse *angemerckt, vielweniger* sectionis cerebri *gedacht, und also* illegal *mit der* Inspection *dißfalls verfahren worden,) es müsse so wohl* intra partem cranii cerebro substratam, *sonderlich um und neben der* fissur, *als* superstratam, item intra hanc & piam matrem & ipsum cerebrum *sich* extrauasirt

Geblüt

Geblüt geſamlet haben; alſo, daß ab enormiſſima eiusmodi contuſione inſignis cerebri commotio *geſchehen und erfolgen müſſen, dieſe* læſion pro ſimpliciter & abſolute lethali *zu halten ſey.* Confer Zittmanni Medicinam forenſem Cent. II. Caſ. XXXIV.

§. XXI.

Secundus caſus eſt, ſi certo conſtiterit, vulneratum ex inflicto vulnere non deceſſiſſe, ſed vel ex malo & peruerſo regimine, vel ſymptomatum ex indole vulneris vix metuendorum, eidem tamen nihilominus ſuperuenientium, vi & efficacia, vel ipſorum chirurgorum ac medicorum imperitia aut negligentia periiſſe. Cuius generis ſunt vulnera partium carnoſo-muſculoſarum, quæ non ſolum ratione texturæ & conformationis ſuæ facilius coaleſcunt, ſed & ordinario nullis funeſtis ſtipantur ſymptomatibus, niſi forte capaciorum vaſorum ſanguiferorum laceratio, & ſic enormior hæmorrhagia, coniuncta eſſet, quæ tamen ſi reconditiorem ſitum non habeant, vel mediantibus ſtricturis ac ligaturis, vel medicamentorum ſtegnoticorum ope, vel denique ipſius ferramenti candentis auxilio, haud difficulter obturari poſſunt, ſicque vulneratum hoc modo extra periculum ſiſtunt. Eſtque hic caſus tantæ rurſus euidentiæ, vt non ſolum nihil difficultatis inuoluere videatur, ſed & ICti rectiſſime concludant, *vulnerantem* non de occiſo, ſed de *vulnere* tantum teneri. Nam ſi ægrotus ex conditione vulneris mortuus non eſt, ἄλογον & a natura rei alieniſſimum foret, *Criſes* expectare velle.

§. XXII.

Tertius vero præcipue *caſus* eſt, qui non ſolum thema noſtrum, ſed & *Conſtitutionis Carolinæ* ſuperius adductæ tenorem propius reſpicit: ſi nempe dubium fuerit, an vulneratus ex natura vulneris, an vero potius culpa chirurgorum

& medicorum, vel errorum in diæta commissorum, vel symptomatum vulneri superuenientium vehementia mortuus sit? Quo casu vnanimi fere consensu concludunt Doctores, reliquis coniecturis & præsumptionibus iudicem veluti in suspenso detinentibus, nihilque certi promittentibus, si adhuc, dum circa determinandam *vulneris* præsentis *lethalitatem* fluctuet, eundem vtique *temporis* rationem habere *certumque dierum terminum* attendere debere, & quidem vi *constitutionis Carolinæ: So einer geschlagen würde, und* über etliche Zeit *darnach stürbe &c.* Et paulo post: *Mit Anzeigung*, wie lange *der Gestorbene nach den Schlägen gelebet habe?* Cum vero vocabula *aliquamdiu & quamdiu*, quibus *constitutio criminalis Carolina* vtitur, sicuti rectissime obseruauit (m) *Kleinius Pandectarum Professor in Academia Rostochiensi*, non certum aliquod temporis momentum determinent, nec ipse etiam Imperator hic nominatim de certo dierum termino loquatur, dubius manet iudex ad tempus respicere iussus, quot numero dies pro iudicanda vulneris lethalitate attendere ipsum oporteat. Rationem ipsemet subiungit, quia variante in infinitum indiuiduorum constitutione, vulnerum qualitate, & causis ab extra aduenientibus, simul quoque variarent in infinitum vulnerum & lethalitatis termini, vt omnibus vnum eundemque terminum ponere dierum criticorum, certa arte impossibile esset. Fallax insuper est Hippocratis auctoritas, imo plane falsa eiusdem hypothesis, qua communiter nituntur, dum innuit, (n) *Magna vulnera habere suos dies decretorios, instar morborum acutorum*: Quam suo quoque calculo adprobat *Zacchias* loco iam superius allegato,

(m) Disput. Iurid. de diebus criticis Cap. III. n. 21. 22.
(n) Prorrhet. Libr. II. §. 23. Conf. Coac. prænot. de capitis vulneribus, & Libr. IV. popularium.

legato, adferens, acutorum morborum terminum, quippe qui ex communi medicorum iudicio *regulariter* esset *dies quadrageſimus*, in vulneribus lethalibus & periculo proximis præ cœteris videri acceptandum. Vt proinde vtroque hoc auctoritatis præiudicio inducti ICti non dubitent adferre: Termino hoc quadraginta dierum in *dubio* transacto, vulneratum nullo modo ex vulnere, sed potius ex quocunque alio accidente decessisse præsumendum. Cum vero *natura vulnerum ab indole morborum acutorum* alieniſſima sit, & in illis nihil occurrat, quod ad *Criſeon* naturam vllo modo accedere videatur, absurdum certe esset, in determinanda *vulnerum lethalitate dubia ad acutorum* terminum respicere velle.

§. XXIII.

Vt vero totius adsumtæ hypotheseos insufficientia, imo aperta falsitas clarius adhuc diluceſcat, & in negotio tam ſontico ſanguinem humanum concernente, nihil temere decernat iudex, aliquot adhuc argumenta in medium producemus, ex quibus clare adparebit, *vulnera de lethalitate dubia* nihil vsquam cum *morborum acutorum Criſibus* commune in ſe habere. Et primum quidem in hoc genere argumentum facile mihi ſubminiſtrabit *propria ICtorum illorum diſſenſio* & diſcordia, circa verum atque genuinum *dierum criticorum* terminum, aliis *tertium* diem, tanquam *criticum*, conſiderantibus, quorum ſententiam retulit (o) *Carpzovius*: Aliis, reiecto tertio, *quintum* potius attendentibus, aliis *octavum*, tanquam certiſſimum ſalutis, vel mortis imminentis indicem reputantibus, aliis *nono* hanc prærogatiuam decernentibus, aliis *decimo* demum hanc poteſtatem vendicantibus,

(o) Prax. Criminal. Quæſt. XXVI. n. 9.

bus, adeo, vt vulnerato diem *decimum* superuiuente, non præsumatur ex vulnere decessisse ægrotans, nec adeo vulnerans pœnam ordinariam incurrat, sed extraordinaria tantum adficiendus sit. Ab his omnibus longissime iterum recedunt, qui terminum *Criseos* vltimum in vulneribus expectandum ad diem quadragesimum, tanquam vltimum acutorum, ex sententia Hippocratis aliorumque medicorum, extendunt, quibus iterum alii contradicunt, terminum hunc paulo strictiorem reputantes, ac proinde in diem *sexagesimum* mortis ex vulnere metuendæ periculum reiicientibus. Alii non amplius diebus, vt ii, quos hactenus recensuimus, fatalem vulnerum metam metiuntur, sed plane integris mensibus, credentes nempe, *vltimum octaui mensis diem* a tempore accepti vulneris expectandum esse, antequam vulneratum ex accepto vulnero mortuum esse, iure statui queat; a quibus iterum diuortium faciunt, qui *integri anni* lapsum expectandum esse volunt, vt post eius decursum vulnerans demum extra capitis periculum constituatur. Alii denique vno anno non contenti, *terminum vulnerum criticum* ad *integrum biennium* extendere non erubescunt; aliis alia placent, quorum omnium diuersas sententias in compendio exhibuit supra citatus *Kleinius*, quæ omnia, puto, speciminis loco sufficere possunt, quantum fidei in re tam fluxa atque instabili mereantur ICti. Vt hinc rectissime adnotatum sit apud (p) *Zacchiam*, impossibile esse, vt in tanto ICtorum dissensu circa *genuinum dierum criticorum terminum* firma ac stabilis quædam sententia eruatur.

§. XXIV.

Taceo, quod plerique illorum dierum ne quidem naturam *criticorum* vere possideant, vti de *tertio*, *quinto*, *octauo*, aliis-

(p) Quæst. Medico-legal. Libr. V. Tit. II. Quæst. V. n. 2. 6.

aliisque abunde medicis constat, qui eiusmodi dies potius *intercalares*, & *vacuos* adpellare solent, in quibus *Crises* expectare velle vanum foret atque irritum: omnes enim solenniores commotiones, indeque inductæ mutationes, ad futurum morbi exitum tam lethalem, quam salutarem respectantes, incidunt in dies *septimos* vel *semi-septimos*, seu *septenorum medietates*, sicuti clinicam Praxin attendentibus non potest ignotum esse. Firmiori vtique fundamento niterentur, qui *nono* præcipue *diei* singulare coniunctum esse periculum adfirmare ac demonstrare in se susciperent, si nempe reliqua essent paria, h. e. si vulnera eandem, vt morbi acuti, rationem haberent. Nam quod adfectibus acutis *nono die* singulare complicetur periculum, non solummodo quoad veritatem facti multiplici clinica experientia comprobatum est, sed & *rationem fiendi* luculentissime ob oculos posuit Excellentiss. D. Stahlius in *Propemptico Inaugurali de periculo nonæ diei in acutis*. Quia vero vulnerum morborumque acutorum longe diuersissima est ratio, nihil minus lucrantur, qui vim decretoriam nono diei adscribunt: vnde reliquorum plane *non criticorum* longe minorem debere esse efficaciam, ex dictis clarissime liquet.

§. XXV.

Deinde vero 2.) peccant etiam in eo, quod omnibus *promiscue* vulneribus *vnam eandemque* adscribant *naturam*, cum tamen *vulnera capitis* diuersissimam habeant indolem a vulneribus *pectoris*, *hæc* a vulneribus *abdominis*, & *hæc* rursus a vulneribus *artuum* & *systematis vasculosi*, arteriosi, venosi, neruosi, &c. Nec singula ista vulnera seorsim considerata vnius eiusdemque sunt naturæ. Nam quamuis, secundum sapientissimum Hippocratis monitum, nullum capitis vulnus negligendum vel parui habendum sit: alia tamen aliis perículo-

culoſiora exiſtunt, ſi vel exteriora tantum integumenta, ſine cranii læſione vel fractura, adficiantur, vel caluariæ fractura ac depreſſio ſit coniuncta, ſaluis tamen & illæſis integumentis externis, vel cranium fiſſura laboret, vel ſi ad ipſas cerebri meninges penetrauerit vulnus, vel plane inuolucris hiſce diſcisſis ad ipſam cerebri ſubſtantiam eiusdemque ſinus & ventriculos, ſimplicisſimæ vtique rationi leuiter tantum attendenti manifeſtum eſt, diuerſarum harum partium diuerſam naturam, diuerſum quoque, ſi quem agnoſcant, *terminum criticum* exigere. Similis eſt conditio vulnerum, pectoris viſcera adficientium, quæ rurſus pro varietate partium varios ratione lethalitatis terminos agnoſcunt. Imo vulnera vnius eiusdemque viſceris vel organi, v. g. diaphragmatis, diuerſum ſortiuntur euentum, ſi vel parti muſculoſæ, vel neruoſæ infligantur: quod & in vulneribus veſicæ vrinariæ, ſi vel fundum, vel ceruicem eiusdem adficiant, liquido adparet. Ex abdominis viſceribus nullum eſt, quod non texturæ vel conformationis ratione diuerſum ſit ab altero, & hinc læſionis intuitu alium quoque efflagitet *terminum criticum*. Cum ergo alia ſingularum harum partium vulnera *funeſtum lethalitatis eventum accelerent*, alia vero procraſtinent, quis eſt, qui iisdem vnum eundemque, etiamſi reliqua omnia ſalua eſſent, *dierum criticorum terminum* cum ſana ratione adſignare valeret.

§. XXVI.

Tanto magis 3.) totum negotium ſuſpectum reddit, imo peſſundat conſtitutio vulneratorum *indiuidualis*, quæ mirum quantum effectum quoque a vulneribus oriundorum diuerſitatem modificat. Oporteret plane hoſpitem eſſe in *praxi medico-chirurgica*, qui ignoraret, vnum idemque vulnus eidem parti inflictum diuerſum exhibere genium, fecun-

secundum hanc ipsam *indiuidualis constitutionis* diuersitatem. Nemini enim ignotum est, quod vulnera hydropicorum, quæque corpora cacochymica adficiunt, longe difficiliorem admittant sanationem, & periculosioribus symptomatibus exponantur, quam vulnera sanguineorum, quæ non solum laudabilius pus præbent, sed & facilius consolidantur. Vt de fatali *dierum criticorum* meta nihil moneam: qui enim omnibus indifferenter *indiuidualibus constitutionibus* vnam eandemque *temporis* rationem adsignare vellet, ille infinitam illam vulnerum in *indiuiduo* varietatem turpiter ignorare fateri cogeretur.

§. XXVII.

Neque 4.) cum natura *Criseon* vlla rationali ratione conciliari potest, quomodo vulnera, cuiuscunque demum naturæ fuerint, *motuum criticorum, secretoriorum & excretoriorum*, capacia fieri queant, cum, quicquid in illis fieri consueuit, a *mutationibus & moliminibus* eiusmodi *criticis* alienissimum sit. Siue enim, quæ nonnullorum speculatio est, per quandam sanguinis *despumationem*, vel *fermentationem*, vel, prout alii efferre malunt, *efferuescentiam*, vel materiæ motui humorum vitali infestæ *præparationem* ad *secretionem* & succedsuram deinde *excretionem*, vel *translationem* fieri supponamus, vbique alienum est, diuersos hosce modos, *acutis* tantum solennes, *vulneribus* inuita & repugnante natura tribuere velle. Qualiscunque tandem sit morborum *acutorum criticus solutionis modus*, per insensibilem transpirationem, vel sudores manifestos per vrinam, saliuationem, diarrhœam, hæmorrhagiam, &c. certissimum est, neutrum illorum *vulneribus* competere.

§. XXVIII.

Repugnat 5.) cunctis hisce præfigurationibus ipsa quo-

que praxis forenſis. Si enim ſolidius non haberent fundamentum ſuarum deciſionum iudices, reum vel abſoluendi, vel condemnandi, quam lubricam illam atque fallacem coniecturam, *vulneratum* nempe *criticum iſtum ac fatalem terminum ſuperuixiſſe, atque ideo non ex vulnere, ſed alio ex accidente eundem mortuum eſſe*, quomodo quæſo apertiſſimam iniuſtitiæ ſuſpicionem a ſe amolirentur? cum ipſimet ICti in ore ſemper habeant, *ad condemnationem in criminalibus requiri probationes meridiana luce clariores.* Ad quod probandum ſuffecerit vnum vel alterum reſponſum celeberrimæ Facultatis Medicæ Lipſienſis allegaſſe. Primum eſt de *vulnere capitis*, quod etiamſi *inſufficienter* a medico deſcriptum eſſet, *lethale* nihilominus iudicatum fuit, non attento, quod vulneratus poſt integrum *ſex hebdomadum* decurſum demum vitam cum morte commutauerit. Ita enim Lipſienſe reſponſum ſonat: *Als uns derſelbe einen* caſum, *Schläge und* læſiones capitis *betreffende, zugeſchickt, ... ſo erſtatten Wir ihm zu verlangter Antwort, daß vor allen Dingen wir wünſchen möchten, es wäre beydes des* chirurgi, *Wund-Zettel, und des* medici atteſtat *nicht ſo unvollkommen, ſondern gantz und deutlich, auch* in forma probante *beygelegt worden; ... Indeſſen aber, es ſey auch die Sache übrigens, wie ſie wolle, ſo erachten Wir, die, von dem* Medico *uns beſchriebene Verletzung des Hauptes, dennoch* pro ſimpliciter & abſolute lethali, *obſchon der Verwundete erſt* 6 Wochen *NB.* hernach *geſtorben, indem die tägliche NB. Erfahrung bezeugt, daß*, propter diuerſorum ſubiectorum conſtitutionem, vulnerum lethalitas *keines Weges auf ein gewiſſes* temporis ſpatium determinirt *werden mag, iſt auch* ex ſcriptoribus bonæ fidei & magnæ autoritatis *leicht zu erweiſen, wie* in ſpecie ex vulneribus capitis *die* lethalitas *oder der Todt erſt nach 5. 6. 7. und mehr Wochen erfolget*

folget ſey. Alterum ex *Ammanni Praxi vulnerum lethalium* transſcribi facile poſſet, niſi chartæ parcerem. Breuiter tantum noto cribrationem ab *Ammanno* adiectam; nempe non valere conſequentiam: vulneratus, in iugularibus internis grauiter ſauciatus, ad *diem decimum nonum* vitam produxit, ergo vulnus *ſimpliciter* & *abſolute lethale* non fuit, quia *dies criticos* ſuperuixit, & *vulnera magna* ſecundum effatum *Hippocratis habent dies ſuos decretorios inſtar morborum acutorum.* Nugæ ſunt! nam nullum vulnus maxime *lethale criſin* expectat. Idem de *diebus criticis* iudicium fouent multi alii celebres medici, quorum autoritates magno numero hic accumulare poſſem, ſi vel quicquam in arte noſtra valerent, nec autoritatibus, quam rationibus potius depugnandum eſſe, probe ſcirem.

§. XXIX.

Sola itaque *vulneris lethalitas* eſt, ad quam in condemnando vel abſoluendo reo reſpicere debet iudex, ſine vllo ad futuram *criſin*, certis demum diebus ſolenniter euenturam, reſpectu. Quæ ſi vera ſint, ſicuti veriſſima eſſe credo, vix adparet, quomodo ſingularitatis cuiusdam adfectationem euitaturi ſint, qui vel nulla *per ſe lethifera vulnera* admittunt, vel eorundem *lethalitatem non eſſe requirendam*, aliis perſuadere conantur. Sicuti autem *priores* pudore ſuffuſos iamdudum orbi erudito exhibuerunt medici & chirurgi celeberrimi, *Zacchias, Sebitzius, Fallopius, Welſchius, Ammannus, Bohnius*, aliique plures, qui de vulnerum inſpectionibus & renunciationibus ſcripſerunt: ita *poſteriorum* quoque *ſententia*, meram quippe ſingularitatem redolens, accuratiori trutina penſitari meretur. Si enim *lethalitas vulneris requirenda non eſt*, mille difficultatibus, imo abſurditatibus implicabitur iudex, & capite plectendus erit abſolute,

qui alteri colaphum impegit, ex cuius occasione post aliquot dierum, vel septimanarum, decursum mors secuta fuit: quod quam absurdum sit, nemo non videt. Ita recte iudicarunt Lipsienses, ex *alapa ante nouendecim dies inflicta* ægrum mortuum non esse, sed potius iracundiam, temulentiam &c. morbi occasionem dedisse, cum in ipsa sectione nulla alteratio vel læsio cerebri, nulla membranarum aut vasorum ruptura fuerit obseruata. Vid. Zittmanni Medicinam Forensem Cent. III. Cas. LXXXIX. Ita etiam Collegium medicum Augustanum apparitores publicos, quorum vnus parua scutica, ex genitali taurino parata, aniculæ manum petierat, vnde temulentæ instar mox titubare cœperat, ceciderat & post quatriduum exspirauerat, recte ab homicidii crimine absoluerunt, quia in manu defunctæ, præter maculam liuidam ab ictu inflicto residuam, chirurgi nihil obseruauerant: vnde ipsam non a verberibus, sed adfectu apoplectico superueniente, magnum momentum concitata in tali actu indignatione, & terrore conferente, demortuam esse iudicauit. Vid. Valentini Pandect. Medico-legal. Part. II. Sect. I. Cas. IX. conf. Zittmann. Med. Forens. Cent. V. Cas. XXXVI. it. Cent. VI. Cas. LXVI. Quid autem fieret cum miseris eiusmodi, si ex quacunque alia causa secuto effectu mortifero statim condemnandus esset reus, vbi tamen de *lethalitate plagæ* non sufficienter constat.

§. XXX.

Ast contra ea euidens est, ad infligendam reo pœnam homicidii ordinariam, requiri *absolutam vulneris lethalitatem*, quæ summam moriendi necessitatem induxerit, quæque nulla industria, nullo artificio præcaueri potuisset: eandem vero cessare, si inspectione & *renunciatione legitime facta* liquido adpareat, vulnerati mortem non immediate ex vul-

vulnere, sed negligentia chirurgi, inordinato regimine ægrotantis, aliisque ex causis profluxisse, qui alioquin in viuis conseruari potuisset. Neque enim, quod a nonnullis hic adducitur, exemplum quadrare videtur: nempe si quis dolose alterum ex turri vel alio loco editiori præcipitasset, quo ille fracta caluaria cerebrum & vna cum illo animam effudisset, capitis pœnam cessare debere: eo quod, si stramina, vel lecti præcipitato suppositi fuissent, lapsus forte lethalis non fuisset: quia *Constitutio Carolina* Art. CXXXVII. non solum loquitur de *latronibus* & *sicariis*, ex destinato proposito alterum occidentibus, qui nullam prorsus facti sui excusationem allegare possunt, sed etiam de *homicidis*, inconsulto iuuentutis calore & iræ feruore alterum trucidantibus, & interea tamen internecionem alterius directe non intendentibus. Tali maxime casu non ipsum tantum funestum effectum & euentum, sed ipsam quoque vulneris conditionem ratione *lethalitatis* inspiciendam & requirendam esse, nemo mihi dubium fecerit.

§. XXXI.

Tanto autem minus singularis hæc de *non requirenda vulnerum lethalitate* opinio locum inuenire potest, quanto luculentius hodie ex elucubratis celeberrimorum quorundam medicorum & chirurgorum scriptis constat, *quomodo* non tantum *vulnera periculosa* differant a *lethalibus in genere*, sed & quæ vulnera necessario, & absolute lethalia sint *in specie*, ita quidem, vt sine vlla restitutionis spe mortem certissime inferant. Quæ res si decenter æstimetur, & ad animum admittatur, alienum & otiosum videri posset, medicos nostros & chirurgos reprehendere velle, quasi ipsorum depositiones & renunciationes circa *vulnerum lethalitatem* omnes in incerto versentur, aut saltem coniecturis & præsum-

ſumtionibus meris nitantur. Contrarium enim iis perſpectum eſt, qui *Welſchii*, *Ammanni*, *Bohnii*, aliorumque in hoc genere ſcripta cum iudicio euoluerunt. Equidem haud ignoro, malas cauſidicorum artes, teſtimonia medicorum ac chirurgorum publica, vtut in ſe nocentiſſima ſugillantium, in alienum ſenſum detorquentium, & pro rei defenſione in turpem abuſum pertrahentium. Tantum vero abeſt, vt eo ipſo illorum atteſtata ſecundum ſcientiam anatomico-chirurgicam formata infringantur, incertitudinis, vel plane erroris conuincantur, vt potius, ſi quis ſequior inde effectus conſequatur, peruerſis Aduocatorum artificiis totus imputandus ſit. Vt proinde ſufficientiſſimas ſæpenumero rationes haberent integræ Facultates Medicæ, ad quas eiusmodi acta inquiſitionalia transmittuntur, eorundem loquacitatem, litigandi pruritum & inſanam omnia peruertendi libidinem coercendi, & ſeuerisſimis cenſuris atque cribrationibus perſtringendi. Nolo tamen omnino excuſare, aut ſilentii peplo velare, crasſisſimam ignorantiam plurimorum tam chirurgorum, quam medicorum, nempe Phyſicorum tam vrbanorum, quam prouincialium, qui ſufficienti notitia anatomico-chirurgica non inſtructi tam inſpectionem cadauerum illegaliter adminiſtrant, quam ipſam partem læſam ſecundum genuinam ſuam conformationem, ſitum, connexionem, functionem, & propriisſimam læſionis indolem inſufficienter, multo minus ſymptomatum vulneri ſuperuenientium hiſtoriam ea, qua requiritur, dexteritate deſcribunt. Vnde poſtea mirandum non eſt, Facultates Medicas ſuper *lethalitate* vel *illethalitate* talium *vulnerum*, *illegaliter inſpectorum*, vel *inſufficienter deſcriptorum*, conſultas titubare, totumque negotium in ſuſpenſo relinquere: quod tantum abeſt, vt ipſi rei in ſe certisſimæ vllum adferat præiudicium,

vt

vt potius Reſponſa facultatum depoſitionibus chirurgorum & naturæ vulnerum in indiuiduo conformia eſſe debeant, ſicuti eodem modo Iudex ſecundum acta & probata ſententiam ſuam conformare ſolet.

§. XXXII.

Nec ſententiam noſtram *de requirenda vulnerum lethalitate*, vel inſpiciendis defunctorum corporibus vllo modo infringit, quod medicorum diuerſæ ſint opiniones, illique circa enumerationem ac determinationem læſionum abſolute & per ſe lethalium inter ſeſe mutuo non conueniant, imo acta publica ad inuidiam & nauſeam vsque conteſtentur, quod contra ſolennes medicorum ad inſpectionem requiſitorum depoſitiones mox rei defenſores contraria aliorum iudicia exhibere ſoleant, quibus rurſus alii pertinacisſime contradicant: hæc enim omnia nullo modo probant, fundamentum renunciationis vulnerum fragile, dubium & incertum eſſe, ſed mores medicorum quandoque æque corruptos eſſe atque ipſorum ICtorum. Interim ſicuti auctoritatem legum nullo modo labefactant, aut infringunt diuerſæ e diametro ſæpe ſibi mutuo oppoſitæ Doctorum circa easdem interpretationes, imo non ita raro ſuper vno eodemque negotio Forenſi non nunquam tria vel plura Facultatum Reſponſa directe ſibi inuicem repugnantia obtinent cauſarum Patroni: Ita nihil prorſus ad proculcandam vel infringendam principiorum medicorum certitudinem facit artificum circa determinandam *vulnerum lethalitatem* diſſenſio, ſiquidem omnibus promiſcue barbitonſoribus, chirurgis atque medicis anatomiam atque chirurgiam ignorantibus, non iubentur credere ICti, ſed peritis inque ſcientia anatomico-chirurgica exercitatisſimis medicis. Neque obſtat, DEVM, legislatorem ſapientiſſimum, Reipublicæ Iudaicæ in tradita lege *de*

homicida morte puniendo, ſcrupuloſam eiusmodi inſpectionem & ſectionem in cadauere defuncti adminiſtrandam non iniunxiſſe: multa enim in Republica Chriſtianorum aliarumque gentium vtiliter ordinata ſunt, quæ pro immenſa ſua ſapientia ac prouidentia Reipublicæ Iudæorum DEVS iniungere neceſſarium non duxit.

§. XXXIII.

An vero hæc eadem ſententia de *inſpiciendo vulnere* & *requirenda eiusdem lethalitate* in *Iure Ciuili* vllum habeat præſidium vel patrocinium, nos tanquam medicos parum tangit, qui controuerſiam iſtam, veluti extra pomeria artis noſtræ conſtitutam, ICtis decidendam merito relinquimus. Quod vero in *Conſtitutione Criminali Carolina* diſertisſimis verbis fundata ſit, non negabit, qui originalem textum germanicum dictarum Conſtitutionum Imperialium Artic. CXLIX. adcurate expenderit, cuius verba hæc ſunt: *Damit in obgemeldten Fällen gebührliche Erkentnüß ſolcher unterſchiedlicher Verwundung halber nach der Begräbnüß des Entleibten deſto minder Mangel ſey, ſoll der Richter - - - - ſamt einem oder mehr Wund-Ærtzten (ſo man die haben und ſolches geſchehen kan) die dann zuvor beeydiget werden ſollen, denſelben todten Cörper vor der Begräbnüß mit Fleiß beſichtigen, und alle empfangene Wunden, Schläge, Auffwürffe, wie der iedes funden und ermeſſen würde, fleiſſig mercken und verzeichnen laſſen.* Neque enim *inſpectio* illa *vulneris* aliam ob rationem iniungitur, niſi, vt conſtet iudici, num ex vulnere, an vero ex malo regimine, incuria & negligentia chirurgorum, vel alia cauſa accidentali deceſſerit vulneratus? Quia hoc poſteriori caſu vulnerans non capitali, ſed tantum extraordinaria pœna pro Iudicis arbitrio adficitur.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Itaque ſimul conſequitur, *inſpectionem vulneris* ab vno vel pluribus chirurgis (quo tamen nomine etiam medicos ſecundum eminentiam comprehendi palam eſt) expediendam, tantæ eſſe neceſſitatis, vt eadem vel penitus omiſſa, vel ſaltem illegaliter inſtituta, nec de *lethalitate vulneris* legitime conſtare, nec ad pœnam ordinariam reus condemnari queat. Ita Facultas Medica Lipſienſis (q) vulnus capitis eiusque *lethalitatem* ob *neglectam ſectionem dubium* pronunciauit. (r) Eadem Facultas lethalitatem vulnerum thoracis ob ſolam *inſufficientem inſpectionem* determinare vel non potuit, vel non auſa fuit. Plura alia huius rei exempla collegit Valentini in Pandectis medico-legalibus, qui præter multa alia mentionem facit (s) vulneris pectoris, quod ob ſolam *illegalem inſpectionem* pro abſolute & ſimpliciter lethali declarari non potuit, etiamſi in relatione coniecerint medicus atque chirurgus, non pulmones tantum, verum etiam aortam ſeu arteriam magnam læſam fuiſſe, cum vulneratus ſtatim conciderit, ipſaque pectoris cavitas ſanguine fere tota repleta fuerit. Ammannus in *medicina critica* & praxi *vulnerum lethalium* copioſa quoque exempla collegit talium vulnerum, quorum lethalitas propter ſolam *illegalem inſpectionem* & *ſuperficialem*, vel legibus artis non conformem *ſectionem* dubia manſit & incerta. Vt hinc dubium nullum ſuperſit, *inſpectionem* & explorationem *vulneris* ad determinandam eiusdem *lethalitatem* abſolute neceſſariam eſſe, vt non tantum partium læſarum ſitus, ſed & vulnerationis mo-

(q) Zittmann. Med. Forenſ. Cent. I. Caſ. I. Conf. Cent. III. Caſ. LXVI.
(r) Id. Cent. I. Caſ. III. & Caſ. X.
(s) Pandect. Medico-legal. Part. II. Sect. I. Caſ. X.

dus, magnitudo, profunditas, ipsiusque mortis causa, adeoque punctum lethalitatis certo innotescat: quia huic medicorum & chirurgorum relationi, inprimis fundamentis anatomico-chirurgicis conformi, tota Iudicis sententia siue condemnatoria, siue absolutoria innititur. Qua propter in negotio, corium & sanguinem humanum concernente, omni modo cautos atque circumspectos eosdem esse oportet.

§. XXXVI.

Quod si autem omni, qua possibile erat, industria in *inspectione* & *sectione* cadaueris adhibita, *lethalitas vulneris* adhuc dum *dubia* maneat atque incerta, quibusuis aliis potius indicationibus locus relinquendus est, quam nudæ *circumstantiæ temporis*. Crisin enim vel dies criticos curiose simulque anxie expectare vel attendere velle in *vulneribus* de *lethalitate dubiis*, nihil foret aliud, quam lepide delirare, quia *vulnerum*, licet magnorum, longe diuersissima est ratio ac morbornm *acutorum*, ac proinde, *eandem* in *illis*, quam in *his*, teste experientia, exerunt, efficaciam exerere nequeunt.

FINIS.

NOBILISSIMO DOCTORANDO

S. P. D.

PRÆSES.

QVod *Hippocrates*, optimus Praxeos Clinicæ autor, etiam *in vulneribus omnibus ἀξίωσις λόγου* præcipit: *πυνθάνεσθαι χρή*, *interrogare oportet*, (hæc enim est forma artis,) id cordi Te habuisse testatur hæc solennis Dissertatio. Et hæc quidem innixa cum sint corporis humani mechanicæ, anatomiæ, & genuinæ Theoriæ vniuersæ, probant Te genuinum artis filium, qui possit hinc, quod idem præcipit: præterita dicere, præsentia cognoscere, futura prædicere, adeoque & iudicare & curare. Gratulor hinc Tibi, & Optimo Parenti Tuo, ex animo, & brevibus lineolis, sed maiori affectu, diuini Numinis benedictionem, & prosperrimos successus deuote exopto. Vale. Dab. ex Museo MDCCXII. IIX. Cal. Apr.